



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

XV. Linguæ Hebraicæ commendatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

XV. SVADET PRÆCEPTOR DIS-  
cipulis, ad Theologiam aspirantibus, lin-  
guæ Hebraicæ studium.

EXORDIUM sumet ab officio suo, & amore erga  
discipulos: quòd propter amorem, quo illos  
prosequitur, non possit non ea, quæ ad salutem &  
utilitatem ipsorum pertinere videntur, liberè eis  
suggerere. Narrabit deinde se cognovisse, multos  
suorum discipulorum ad functionem Ecclesiasti-  
cam, & nobilissimum Theologiæ studium aspirare.

PROPOSITIO: Te igitur ipsis suasurum, ut  
non modò Latinam & Græcam; sed etiam Hebræ-  
am, seu sanctam linguam addiscant.

CONFIRM. I. LOCUS, ab honesto. Quòd hone-  
stum sit eam callere linguam, qua Deus ipse in Pa-  
radiso, & primi nostri parentes usi sunt; qua post  
etiam Lex tradita est; qua Patriarchæ, Prophetæ, *Genes. II.*  
Apostoli, & ipse Christus locutus est; quæ deniq;  
non superbiam habeat causam, quemadmodum re-  
liquæ linguæ omnes. Nam propter superbiam qua  
inflati homines turrim Babylonicam in cælum  
usq; exstruere conabantur, Deus linguarum va-  
rietatem, quasi pœnam quandam dedit, atque ita  
tantum superbix opus dissipavit.

II. Ab utili seu commodis. PRIMÒ, Quòd huius  
cognitio faciat ad planiorem sacræ scripturæ in-  
telligentiam: quia præcipua Bibliorum pars hac *Ovid. 3. de*  
lingua continetur. SECUNDÒ, præstat ut erro- *Ponto: Gra-*  
res hæreticorum animadvertantur, quos illi no- *tius ex ipso*  
bis ex hac lingua, ut fonte sacræ scripturæ, obtru- *fonte bibun-*  
dere conantur. TERTIÒ, ad hunc fontem re- *tur aqua.*  
curri potest, si quam dubitationem attulerit La-  
tinorum interpretum infinita varietas. QUARTÒ,  
efficit ut mendæ, quæ vel ex negligentia Typo-  
graphorum, vel ex aliorum imperitia irreperunt,  
innotescant, & emendentur. QUINTÒ, ut vo-  
cabu-

*Aug. Tr. 3.  
li. 2. de Doct.  
Christ. c. 11.*

cabula quædam, quæ in Latina editione reman-  
serunt, vel propter sanctiorem antiquitatis au-  
thoritatem observandam, vel quia commodè in  
alienam linguam transferri non potuerunt, in-  
telligantur, ne ob imperitiâ error oriatur. Hinc  
*in Epist. ad Damasum* D. Hieronymus carpit Hila-  
rium, quod *Osanna*, ob linguæ Hebraicæ imperi-  
tiam malè interpretatus sit.

III. *A dissimilitudine aliarum linguarum, & He-  
braeæ.* Neq; enim ut in cæteris linguis crebrò con-  
tingit, ita hæc quoque fabularum lenociniis, ac  
ludicris nugis animûm nostrum titillare solet, non  
pestiferis canticis aures demulcere, non profa-  
nis opinionibus mentes inficere, nullam brevi-  
ter morûm perniciem candidatis suis insinuare,  
seu instillare consuevit; verûm contra ubique se-  
ria veritas salutarî gravitatè blanditur, ad omnem  
aditum facundus ille sapientiæ lepor, dulcibus  
modulis plectrum suum meditatur, nihil aded in-  
contaminatum, quod non in vitam nostram placi-  
ta seu decreta huius linguæ suo veluti jure quo-  
dam instillent.

IV. *A jucundo.* Quod nihil jucundius homini  
pio & docto esse possit, quàm cum Sanctis Patri-  
bus & Prophetis absque interpretibus loqui posse.

V. *A glorioso.* Paucos istius linguæ peritos esse,  
atque ob id omnes, qui norint eam, aliis esse admi-  
rationi.

VI. *Ab adjuncta facilitate.* Nam studium linguæ  
Sanctæ non in portu, longo jam maris devorato  
rædio, sed in ipso limine, dum solvis à littore, &  
vix dum iter capeffis, laborem tuum statim am-  
plissimo præmio solatur. Dum Syllabarum cor-  
ticem machæra fideli convellis, dum verbum so-  
nare niteris, continuò pascit animum promicans  
nucleus, & sensuum seu sententiarum fragrantis-  
sima medulla. Quandoquidem sacrorum codi-  
cum

*Nota allego-  
vicam meta-  
phoram.*

cum (qui soli tanquam asyllum sermoni Judæorum vel Hebraico præbuerunt) is divino munere genius, ut piis manibus, vel contrectati modò, puritatem doctrinæ ilico, sudent: dum, pronuntiatio fingitur, & exercetur lectio, interim omnibus numeris absolvitur tibi probitatis integritas: præcipuè verò, qui non curiosa levitate, sed spe religiosi cuiusdem auctarii, & illustrioris veritatis desiderio litteras Hebræas perdiscendas sibi duxerunt, familiaritatem scilicet cum divina sapientia quærentes liberiores, ut coràm nativam illius eloquentiam audire, & suopte ore salutantem intueri possint; ii minutissimos apices quidem excutiunt, & veterem Christi vestem saltem fimbriatenuis contingere audent: at iisdem vel ignorantibus, vel certè non ambientibus, tamen virtus illa de medico exiens fœdum & sanguinolentum sceleris fluxum sistit. Tantum vel ipse litterarum contactus, & rude sententiarum schema habet momenti: nedum illa penitissimorum perscrutatio, quæ characterum situ & numero, quæ verborum structura & ordinis pensiculatione peragitur.

*In PERORATIONE hortabitur discipulos; ut summa industria linguam, tam frugiferam, jucundam, & facilem; non (ut autumant) horridam atq; asperam, non incultam ac tetricam; sed politia mira decoram, atq; adè ipsa majestate venustam, expeditam, pronam, nulliq; non obviam, (si modò omnium artificum laborem in consilium adhibere statuat, citra quem nihil unquam natura dedit mortalibus,) addiscant.*

## XVI. DE AVLICORVM

*miseriis.*

**E**XORDIUM à nobilium quorundam stultitia, qui *En. Syl. viii.*  
liberos suos in aulis, quàm in scholis malunt  
educari.

D 3

PRO-